Dziuliński Casimirus Joannes


Gajowski Casimiri Ant. Mnemosyne perennis gratitudinis.

MNEMOSYNE
Perennis Gratitudinis,
Virtutes & immortalia in Eccleſiam Dei merita,
Perilluſtris olim & Admodum Rúdi Domini
D. M. CASIMIRI JOANNIS DZIULINSKI
Philoſophiæ in Alma Vniverſit: Cracovienſi Doct:
Eccleſiarum, Cathedralis Kijovienſis Canonici,
Parochialis Słaboſzovienſis Curati,
ENVNTIANS.
ac dum Ei,
in Eccleſia SŁABOSZOVIENSI Iuſta funebria
magno omnium dolore perſolverentur.
A
M. CASIMIRO ANTONIO GAIOWSKI Philoſophiæ in Alma Vniverſitate, Studij Generalis Cracovienſis, Doctore & Profeſſore.
in vim clientalis, etiam poſt Fata, Obſequij,
erga ſuum Patronum,
& ad perennem tanti Viri memoriam
LVGVBRI CALAMO
EXPRESSA,
Luciq; publicæ
CONSIGNATA.
Anno Domini 1701. Die 24 8bris.

CRACOVIæ Typis NICOLAI ALEXANDRI SCHEDEL S.R.M. Ord: Typ:

390

MNEMOSYNE
perennis Gratitudinis.

VEneranda Musarum Mater Mnemosyne,
nunquam literis excultos mortales,
mortales esse sinit.
Atra oblivionis nube plurimi involverentur;
ni illos, Dea hæc posteris relinqueret memorandos.
Divini Platones, Plinij, Socrates, Aristoteles,
& innumera sapientûm Corona


antequam sepelirentur, jacerent sepulti;
si sua facta, doctaq; molimina, nullo, secuturæ ætati,
comprobarentur testimonio.
Augusta, Iuliorum, Pompejorum, Scipionum Nomina,
angusta laterent in vmbra; ni legerentur.
Nimirum præcipua lectorum ad æternitatem Virorum commendatio est;
etiam post fata vivere & vigere.
Immortales mortalium animi, crudele mortis imperium minimè timent;
æternam sui memoriam relinquendo.
Et licèt mori cogantur, inexpletam nihilominus mortis ingluviem,
vel eò excruciant;
quòd illius non subjaceant potestati.
Omnia sub leges vocet illa suas,
meliorem tamen illorum partem, quamvis invita relinquit;
Mnemosyne suffragante.
Hæc Te non tam lugendum, quàm legendum omnibus exhibet,
Perillustris olim & Admodum Reverende Domine,

D. M. CASIMIRE DZIVLINSKI

Ecclesiarum, Cathedralis Kijoviensis Canonice,
Parochialis Słaboszoviensis Curate,

Vir de Ecclesia DEI meritissime,
Vera, probitatis & politiei Norma,
Vivum virtutis simulachrum:
qui id maximè in toto vitæ cursu egisti:
Vt tui memoriam pectoribus, & pronis in Te mentibus
imprimeres ac insinuares.

Nempè

Nempe hos duntaxat memorare dignum est:
qui perenni memoria & Catonis suffragio digna egerunt.
A prima statim juventa apparebat in Te grande animi decus:
imò innocens illa pubes, haud prona in vitium flecti;
in Aurora, Solem virtutis repræsentabat.
Disrumpat serpentes in cunis Hercules;
Magnitudinem nasciturі Alexandri Iovis Ministræ prænuntient;
carboq; ignitus, humeros illius adurens,
futuræ cardo & non leve momentum fortitudinis sit:
hoc tamen vlteriori illorum ætati, minimè suffragatur:
quia illam vitiis contaminarunt.

At Tu Nobilis Pancratiastes,
exquo IAGELLONICÆ PALLADI tenerum devovisses animum,
bellum vitiis indixisti;
virtutis rigidissimus cultor.
Hincq; Victrici Tuo animo,

LECHICæ ATHENÆ,

Palmam & Coronas obtulerunt.
Porro nobile hoc frontium eruditarum decus,
quamvis alios inerti devoveat otio;
Tibi ad ulteriorem laborem illicio erat.
Nempe gemmei sudoris stillicidio laurum irrigabas;
Vt Virorem simul & fructum germinaret.
Porticus stagyritæ, Sapientûm Pritanea, Te Doctorem
naturalis Philosophiæ arcana, reserantem,
argumentorum oracula proferentem,
magìs quàm Athenæ suum Zenonem optabant auscultare.
Divorum Indigetum præconia, quoties docto profudisti ab Ore;
toties alter Hyperides, aut Gallicanus Hercules,
ab omnibus censebaris.
Sed ne solùm, Natale Solum his animi dotibus ditares,
aliò eximium Professorem

ALMA Studiorum PARENS
VNIVERSITAS CRACOVIENSIS ordinavit.
Inclyta Roxiacæ Gentis Metropolis Leoburgum,
dum Directorem Scholæ Archiepiscopalis poscit;
DZIVLINIVM obtinet.

Quæ æquo Votorum studio prosecuta est venientem,
ac propter Othomanicam rabiem inibi grassantem,
post exactum feliciter laborum cursum, redeuntem.
Mirata & Venerata est in Te, sincera hæc ingeniorum æstimatrix;

raram animi prudentiam, ingenij celeritatem, morum elegantiam;
& omnium Virtutum Encyclopediam.

Quàm cordi huic Insigni Metropoli fueris;
publicus Senatus populiq; favor,
& plausus probavêre.
Omniun planè inuisceratus præcordiis,
LEONEM ROXIACVM,
ita in Tui amorem pellexisti;
ut Te dimittere noluisset:
nisì Threicius furor, aliud persuasisset.
Reditum tamen Tuum ad limina Craci, arcano Divinæ providentiæ cónsilio
ordinatum agnoscimus.
Nimirum exoptatum Te præstolabantur prudentissimum Chironem,
tot Sarmatici Achilles.
Hîc iam tot nactus es adoreas, quot curulibus Catones,
quot Patriæ Cives, sublimi eruditione parâsti.
Architecta immortalitatis MORSCIORVM Ascia,
fulgorem honorum, aciem ingenij, etiam ex parte Tibi debet.
Latepatens RADOMICCIORVM Campus,
in quo, per immensa honorum Olympia Tuus decurrit Æacides
eruditioni Tuæ erigit trophæa.
Lacerata acroci fatorum impetu
ILLVSTRISSIMÆ PIEGŁOWSCIORVM,
PROSAPIÆ FASCIA:

quæ Te tot gratijs & beneficijs ligaverat:
nunc quamvis gratum amoris solvat vinculum,
illius tamen argumentum nunquam solutura;
In
Illustrissimo & Magnifico Domino
IOANNE De Piegłow PIEGLOWSKI
CASTELLANO OSWIECIMENSI,
Cuius teneram studijs formâsti iuventam.
Consus hic & Hector Sarmaticus,
in quo, spes præcelsæ Domûs inclinata recumbit;
celsas posidens Curules,
sinceræ Tuæ eruditionis viuum manebit testimonium!
Verùm aliò Te confer calame!
stat magni Nominis vmbra, propriis virtutibus illustris.
Perennant rectefactorum tanti Viri documenta.
Memora-